

disipuit<sup>1</sup>, nummos per phas et nephas sustulit, quod ei in preiudicium anime et corporis, ut reor, redundabit. O nephas, o abhominabile<sup>2</sup>, o ignominia horum abiectorum hominum! quo pacto horum sceleratissimorum<sup>3</sup> insidias structas Ertffordia declinare poterit? In dies pluribus<sup>4</sup> locis privatis ignes structi reperiuntur. Quare diuturna tenetur formidine, ne ignis atrocitate alia pars superstes<sup>5</sup> lesaque deiciatur. Quod solo<sup>6</sup> arbitrio altissimi commitendum duximus. Nisi<sup>7</sup> his<sup>8</sup> tutetur civitatem, inanem et irritum subiit laborem qui tutatur. Et ille forsán sinistris ammonet casibus, ut omnibus irritis resipiscamus, quibus depravati sumus, et novum genus ei placitum instituamus. Est igitur opere precium nil sanius consilium quam altissimi ordinacionem auscultare. Is loco filiorum nosque et suos<sup>9</sup> affligit<sup>10</sup> filios, ut qui in anxietate et intima afflictione, dum luce fruuntur, inter mortales sunt constituti et nunc illa et nunc alia coquuntur adversitate: per toleranciam astra celi subire et evo sempiterno frui poterunt<sup>11</sup>. In hunc igitur omnem mentis aciem dirigamus, ut nos tueatur<sup>12</sup> et corporis et anime pericula a nobis hic et in perpetuum propellat.

## 2. De degradacione atque interitu monachi in excidium civitatis conspirati<sup>13</sup>.

Mortalium profecto calamitosa est condicio. Quod revera in nonnullis abiectis liquet hominibus in excidium civitatis conspiratis<sup>13</sup>. Qui atrocissimo martyrio, gravissima animadversione<sup>14</sup> penas fortassis debitas sustulerunt. Et ut paucis horum infaustum exitium memorem mortemque miserabilem (silicem moventem)<sup>15</sup> explicem: die quadam Saturni, que prope diem festum Lucie anticipat<sup>16</sup>, accersitis septem episcopis, solemnitate iuris observata, monachus quidam Cisterciensis, huius<sup>17</sup> rei pocior, iuxta sacrorum canonum sanxionem degradatus foret omnique dignitate clericali spoliatus et<sup>18</sup> in manus secularium traditus. Quod profecto<sup>19</sup> miserabile erat visu, hominem reli-

---

1) So statt 'desipuit' Hs. 2) h darin nachher getilgt. 3) 'sceleratissimorum' Hs. 4) 'plimis', das s allein in 'bus' corrigiert. 5) Hier ist vielleicht ein Wort zu ergänzen. 6) So Hs. für 'soli'. 7) 'nist' (?) Hs. 8) Vgl. oben S. 181 N. 17. 9) 'fuos' (= servos) corrigiert in 'suos'. 10) Folgt 'et' getilgt. 11) 'poterit' Hs. 12) 'tue<sup>2</sup>' Hs. 13) So Hs. 14) 'aduersione' Hs. 15) Cf. Ovid. Metam. IX, 303: moturaque duros verba queror scilices. 16) D. i. am 12. December 1472. 17) Folgt 'cei' oder 'rei' schon einmal getilgt. 18) 'foret', 'fo' getilgt. 19) 'profectu' Hs.